



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres  
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum  
omnibus Christi fidelibus, tum potissimùm Gratiarum Cœlestium,  
lucrorumque æternorum avidibus, quâ theoreticè, quâ practicè  
proponuntur

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066391**

Stimulus 2. Conscientia Peccatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45462**

nem. *Hæc est autem voluntas Dei Sanctificatio ve-* 1. Thef. 4. 3.  
*stra, ait Apostolus. Sancti estote : quoniam* & Levit. 11. 44.  
*ego Sanctus sum.* loquitur Dominus. Attenden-  
 da sunt verba & signanda præcepta. Apostolus  
 voluntatem Domini, Dominus verò ipse Exem-  
 plum suum proponit. Ibi obedientia, hic imi-  
 ratio exigitur; Sed Sanctitas nostra, est affectio  
 sancta ad Deum scilicet & ad Divina omnia, nem-  
 pe voluntatem, gloriam, imitationem vitamque  
 æternam, in qua est ultima & perfecta consum-  
 matio obligationis nostræ. Quisquis ergo se  
 facturam Dei agnoscit, sentiat obligationem, ex-  
 hibeat voluntatis executionem, præstet exempli  
 imitationem, tendat & in tendendo ne torpeat,  
 sed potius in dies horasque amplius ferveat ad vi-  
 tam æternam. *Odit enim Deus noster rapinam in* Isa. 61. 8.  
*holocausto,* torporem in suo obsequio, tardita-  
 tem in cursu, procrastinationem in bravio, obli-  
 vionem in debito, aberrationem ab Archetypo.  
 Quid multa? Obligavit te Deus: amplius ne ali-  
 quid requiris? adhuc ne quasi onager liberum  
 te natum puras? Ecce insuper deficit te tempus,  
 imò illud jam jam accipit Deus; jam lampas tua  
 extinguatur, jam ingruit nox longa: tu adhuc  
 dormitas? adhuc nectis moras? adhuc in annos  
 fervorem laboris differs? cui dies una non satis  
 certa est?

## Stimulus II.

### *Conscientia Peccatorum.*

Admissorum à prima pueritia, eorumque gra-  
 vium & multorum, & scienter, volenter,  
 malitiosè, ex animo repetitè admissorum. Pa-  
 rum

rum



rum tibi erant ad onus, debita naturæ: adjunxisti etiam malitiæ seu voluntatis malignæ. Ecce omnia ista signata sunt, quasi in sacco apud Deum. Unicum peccatum detraxit in profundum inferni Apostatam Angelum: quid facient de te tua innumera, eaque, naturâ suâ partim uni illi paria, partim etiam longè graviora. Remedium à pœnitendo est, pœnitendi tempus multum multa peccata graviæque requirunt, tuum autem tempus jam breve est. Ergo ut in brevi tempore pœnitendo expientur peccata gravia & multa, explenda sunt tibi in brevi tempora multa. Hoc autem segnities, hoc procrastinatio, hoc mollis pœnitentia, hoc vana spes & præsumptio non faciet. Paratus est Deus semper dare veniam, sed si tu semper à commissis delictis agas pœnitentiam. Nam qui in cras differt pœnitere, probat se hodie adhuc velle peccare: quod iram Dei provocat, & in crastinum dilatam enervat, imò impedit pœnitentiam. Nam qui cras pœnitentibus veniam promisit: diem crastinum ad pœnitentiam non promisit. Porrò ille benè pœnitentiam agit, qui tempus in quo adhuc peccare potuit, in peragenda pœnitentia transigit.

### Stimulus III.

#### *Conscientia exigua Pœnitentiæ.*

**P**eractæ pro peccatis grandibus & mole, & numero, & malitiâ. Unum hoc, quòd in Deo *Matt. 5. 22.* um peccaveris, omnis naturæ judicio inextinguibile est; sint licet cætera leviora: Iracundior sono in fratrem crepuisse, fatuum appellasse, judicio & gehennali supplicio dignum judicavit

ipfa